

res habuerunt & liberos; quemadmodum *Moses* & *Samuel* uxores duxerunt, enutriti in tabernaculo. Post eos constat & Prophetarum nonnullos habuisse conjuges suas, inter quos *Ezechielem* uxoris suæ expressam mentionem facit *cap. 24*. Tam autem non fuit probro Sanctissimo & præstantissimo Spiritus S. organo uxor, dum Ecclesiæ ministrans, Doctoris officio fungeretur, ut non sit veritus etiam libro suo aliquid de tempore mortis ejus inscrere.

§. 27.

In N. autem T. nemo ignorat *Petri Socrum*, *Matth. 8.v. 14.* & *Philippi Evangelistæ* & *quatuor filiis Actor. 21.* *v. 9.* Narrant etiam Scriptores Ecclesiastici, Petrum uxori suæ præstò adfuisse, cum ad mortem pro Christo raperetur, eamq; consolatione confirmasse, cum diceret: Memento tu mea Domini; &, istæ sunt Sanctorum nuptiæ: Denique Apostolos plerosque maritos fuisse, testatur *Ambrosius in 2.Cor.c.ii.*

§. 28.

Sed jam ad antiquitatem, Apostolorum temporibus proximam, veniamus, cuius traditionibus plus honoris deferunt Papistæ, quam ipsis Scripturis Sacris.

§. 29.

Ignatius enim (qui Policarpo Johannis Evangelistæ auditori σὺν χρόνῳ fuisse perhibetur in *Epist. ad Philadel.* sic inquit. Gratulator vobis virgines sanctimoniam, ut *Heliae*, *Josue*, *Melchisedech*, *Elisæi*, *Jeremie*, *Johannis*, *Thymothei*, *Titi Evodii*, *Clementis*, qui cælibes vixerunt: & mox addit: Horum facta à me mentio est, non quo vituperatos velim reliquos Sanctos, qui nuptiis copulari fuerunt: Opto enim DEO

C

dignius